Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25953
Copyright: Admont, Benediktinerstift



homines uiuens sic ad eum anhelet quem desiderat ut tamen
hunc non deserat cum quo currebat. et sic huic adiutorium
ferat ut ab illo nullatenus torpeat ad quem festinabat
Sciendum quoque est quod ipsa dilectio proximi in duobus pre
ceptis subdi uideatur. cum quidam sapiens dicat. Omne
quod tibi odis fieri. uide ne ipse alteri facias. Et per semetip
sam ueritas predicat dicens. Quecumque uultis ut faciant uo
bis homines et uos eadem faciatis. Si enim et quod impen
di nobis recte uolumus aliis impendimus. et quod nobis fieri uo
lumus hoc aliis facere ipsi deuitamus. caritatis iura illesa
seruabimus. Sed nemo cum diligit quempiam habere se proti
nus caritatem putet. non prius ipsam uim sue dilectionis ex
amine. Nam si quis quemlibet amat sed propter deum non amat.
caritatem non habet sed habere se putat. Caritas uera est. cum
in deo diligitur amicus. et propter deum diligitur inimicus. Ille enim
diligit propter deum quos diligit. qui iam et eos diligere a quibus
non diligitur scit. Probari enim caritas per solam odii aduersi
tatem solet. Unde et per semetipsum dominus dicit. Diligite ini
micos uestros. benefacite his qui oderunt uos. Ille ergo se
curus amat. qui propter deum et illum amat a quo non intelle
git amari. Magna alta sunt hec et multis ad exhibendum
difficilia. sed tamen ipsa uestis nuptialis quisquis hanc re
cumbens in nuptiis non habet iam sollicitus metuat ingre
diente rege ne quando mittatur foras. Ecce enim dicitur. Intra
uit rex ad nuptias ut uideret discumbentes. et uidit ibi
hominem non uestitum ueste nuptiali. Nos sumus fratres qui in nup